Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

amos propheta et posuit ioab verba sua in ore eius. Cumque ingressa fuisset mulier ad regem adoravit dicens. Serva me rex. Mortuus est vir meus et erant michi duo filii et inde fecit alter alterum in agro et consurgit universa cognatio adversus occisorem querentes animam illius pro anima occisi et querunt extinguere scintillam meam super terram. Hec mulier posuit se in persona david et filios suos in persona amon et absolon et cognationem suam in persona aliorum filiorum david. et ait rex ad eam. Vade in pace ego iubebo vel videbo pro te. Quod cum non sufficeret mulieri ait ad regem In me sit domine hec iniquitas et in domum patris mei rex autem sit innocens qui diceret si putas iniquum pro te occisori michi imputetur et domui mee. Cumque iterasset rex promissionem nec sufficeret mulieri instancius rogabat regem. Cui ait. Vivit dominus quia non cadet de capillis filii tui super terram. Tunc exponens ei mulier similitudinem ait. Reducat ergo dominus abiectum suum. non enim vult animam perire deus et omnes dilabimur tanquam aque que non revertentur qui diceret. mortuum filium revocare non potes ad vitam melius est ut revoces viventem quam alterum vindicando utrumque perdas. et ait rex. Numquid manus ioab tecum est in istis. que respondit. Ipse posuit verba hec in ore meo ut verteret similitudinem sermonis huius. et ait rex ad ioab. revoca puerum absolon. Cumque reduxisset absolon in ierusalem. Ait rex. Non videat faciem meam donec vocem eum. ne eo viso revertatur in me dolor filii idest de morte filii. Et mansit absolon in ierusalem duobus annis. et faciem regis non vidit. Porro absolon erat decorus nimis cuius cesaries secundum Josephum tanta erat ut vix octo diebus tonderi potuisset. quam semel in anno tonsam ponderabat ducentis siclis. forte huius ponderis erat tonsura eius. vel hoc precio emebant eam mulieres ut sub ornarent crines suos Natique sunt absolon filii tres et filia una nomine thamar. Misitque semel ad ioab ut intercederet pro eo ad regem qui noluit venire ad eum. Misitque absolon servos suos ut incenderent segetem agri ioab. Quo facto venit ad eum ioab dicens. Quid fecerunt servi tui. Cui respondit. Aliter te habere non poteram. obsecro intra ad regem ut videam faciem eius alioquin interficiat me. Et ingresso ioab ad regem vocatus est absolon et osculatus est eum rex

Quomodo Absalon persecutus est David

Tunc cepit absolon aspirare ad regnum. nam celaph ante eum genitus vel iners erat vel mortuus. Fecitque sibi currum et equites quinquaginta qui precederent eum. Et mane consurgens stabat in porta. et blandiebatur ascendentibus ad regis iudicium dicens. Bona sunt que dicis. sed non est qui te audiat constitutus a rege. Quis constituet me ut recte iudicem. et inclinabat ad se corda virorum. Post quatuor autem annos reversionis ait ad regem. Dum essem in exilio vovi. Si reduxerit me dominus in ierusalem sacrificabo domino in ebron. Vadam ergo et reddam vota mea et ait rex. Vade in pace. Alia littera habet post quadraginta annos. Quadraginta enim anni fluxerant ex quo occisi sunt sacerdotes nobe quod ponitur hic ut monstretur divinam ulcionem suscitari super david eo quod abimelech sacerdotem fefellit. Abiit ergo absolon in ebron utens consilio achitophel gilonite qui fuerat consiliarius david. Et egressi sunt cum eo multi de ierusalem rem ignorantes. Cumque ymolassent hostias. facta est coniuratio valida et augebatur populus cum absolon. Quod cum accepisset david ait servis suis Egrediamur cito. ne veniens absolon occupet nos et percuciat civitatem Et egressus est rex et universa domus

Aiunt hebrei sic rem gestam fuisse quam dicit mulier in parabolam

preceptum scilicet dabo ne occidatur filius tuus

idest quod anni hic commemorantur